



Ib. 34.

12

PROPOSITIONES
DE POETICA,
QVÆ DISPUTABVN.

10

Fridérico Videbrando.



TENÆ.

Excudebat Donatus Ritzenbayn.

Anno M. D. LXIII.

Clariss. virgo Profo Joannij Ma-
iori Thelogiaie Doctori se p[ro]fici-
re Cognoscere Dux et amico
et filio lib.

I.

Poëps et si commune est omnibus artificijs, quæ post actum aliquod relinquunt opus: tamen ab eo κατ' έργον dicta est Poëtica, quod maximè artificiosum & concinnum orationis opus producat, & sit quasi Musarum quedam officina.

II.

Est enim Poëtica aliud nihil, q̄ Philosophia vetus, certis metrorum legibus & orationis ἐνέργεια ad imitationem ab hominibus ingeniosis comparata, qua religionis, virtutum, rerum naturalium & honestarum artium præcepta illustrata exemplis vitae, partim fabularum in uolucris partim narratio-ne plana & ad docendum & ad delectandum proponuntur.

III.

Causa efficiens prima Poëtices, ut omnium aliarum artium est Deus, qui numero rum notitias & sonorum discrimina mentibus humanis inseuit, atq; ita naturam hominis condidit, ut apta sit ad imitandum & re-

bus per imitationem expressis maxime delectetur: Excitauit etiam heroica ingenia, quæ talem numerorum ac imitationis vi naturalem arte excolerent, ac orationi in rebus bonis & utilibus accommodarent.

III.

Quod ad secundas causas attinet, dubium non est, quin à primis patribus, ut alias rum artium semina, ita quoque Poëticæ initia ad alias gentes propagata, ac deinde successu temporis aucta, magisque exculta in alijs quoque linguis fuerint.

V.

Poëticæ quidem vestigia non obscura apparent in Prophetarum scriptis, ut in Psalmis, in quibus & concisa sententiarum series & schemata in dictione, Item instrumentorum seu tonorum, ad quos decatarentur, tituli, Poëticam Lyricæ similem referunt. Idem de Esaiæ vaticinijs ex ipsa orationis sublimitate & splendore, ite de Threnis Ieremiæ, alijsque Bibliorum canticis iudicari potest.

A 2 Apud.

VI.

*Apud Græcos antiquissimi celebrantur Poëtæ, Syagrus, Linus, Orpheus, Amphi-
on, Musæus, Olimpus, Oræbantius Treze-
nius, Dares Phrygius, quibus successe-
runt Homerus, Hesiodus, et multi alij, A-
pud Latinos Liuius Andronicus, Portius
Licinius, Neuius, Ennius, Plautus, et alij
recentiores, inter quos principem locum te-
net Virgilius, proximum Ouidius.*

VII.

*Ad excellentiam verò habitus Poëtici
nontantum requiritur potentia naturalis,
sed etiam doctrina seu ars, Item usus &
imitatio.*

*Enthusiasmo seu afflatu diuino, quem
Plato & Aristoteles in poeta excellenti re-
quirunt, videntur non solum potentiam na-
turalem, sed simul generalem illam Dei ac-
tionem complecti, qua sæpe etiam extra Ec-
clesiam Deus peculiari motu accedit, &
gubernauit ingenia heroica ad eruendas &*

illu-

illustrandas artes, ac efficiendas res magnas
ad imperiorum & disciplinæ constitutionē
necessarias. Quo magis statuimus, in Poëta
Christiano pié & cum laude tractante res
sacras præmissa auxilij cœlestis inuocatio-
ne, præter naturalem ingenij bonitatem, ac-
cedere etiam peculiarem & efficacem numi-
nis afflatum, excitantis & inflammantis
ingenitam illam naturæ præstantiam, ut
non tantum nihil vulgare promat, sed om-
nem etiam meditationem ac scriptionem ad
verum finem, Deum scilicet autorem, gra-
tus referat.

VIII.

Communem enim Poëtica cum Philo-
sophia materiam, circa quam versatur, ha-
bet, orationem de rebus humanis & diuinis
talem, qualis in hanc naturā cadere potest,
quæ vt rectè sapiat & doceat salutaria, il-
lustranda omnino est luce doctrinæ cœle-
stis, non minus, q̄ Philosophia.

IX.

A 3 Etsi

Etsi autem quidam Poetarum tracta-
runt etiam obscena, & à bonis moribus alie-
na: tamen hunc abusum luere Poëtica mini-
mè debet, vt ideo vel explodenda vel con-
temnenda à doctis videatur.

X.

Anima Poëticæ est imitatio metrica,
quæ consistit partim in evaginosia seu inuen-
tionis ac elocutionis decoro, partim in evagio-
nia seu numerorum concinnitate.

XI.

Evaginosia p intelligimus quæ iuxta s. & v. o. &
& sensum communem decorum seruat, pri-
num in exprimendis personarum affectio-
nibus, moribus & oratione, secundum cuius-
q. ætatis, sexus, patriæ, fortunæ, temporis &
loci cōditionem, Deinde in repræsentandis
omnium rerum, cum animatarum tūm ina-
nimatarum proprijs adiunctis, & ad ea tan-
dem orationis grauitatem seu humilitatem,
ornatum seu simplicitatem, atrocitatem seu
suavitatem, copiam seu breuitatem aptè ac-
commodat.

Vnde

XII.

Vnde rectè ab aliquibus Poësis dicta est
soxæsimus, quod multa ex verisimili deducat,
proximeq; ad naturam accedit, talia
proferens, quæ aut ipsiis insint rebus, aut
cum rebus q; maxime conueniant.

XIII.

Ergo est, quæ certis quantitatibus,
numeris & rhythmo astricta exactè singu-
larum literarum, syllabarum et verborum
naturam, vim, connexionem & sonum con-
siderat, eaq; rebus conuenienter adhibet.

Hec duo præcipue requirit, Primum sermo-
nis elegantiam, qui studeat verbis proprijs,
perspicuis, illustribus, & verecundis, fugi-
ens obscura, nimis humilia, sordida & ob-
scena, ac honesta periphrasi circumscribes-
res minus verecundas.

XIV.

Deinde ad evulgum apud requiritur compositio-
nis suauitas, quæ rursus in quinq; partium
obseruatione consistit.

1. *In structura & sonora dictiōnum inter se coagmentatione, quae vitat σφωνίαν ex imtempetuo plurium vocalium & eā rūndem literarum ac syllabarum concursu & consonantium asperitate, contraq; sēpe ad exasperandas res ipsas, seu repräsentandum auribus sonitū rei gestae, studio & arte alliterationes & agnominatiōnes cōquirit.*

XV.

2. *In collocatione Epithetorum, quae ex intima rei natura sumi nec insuauia propter prolixitatem aut duritiem esse debent, ac ferè à subiecto remoueri alijs vocibus interiectis.*

XVI.

3. *In pedum concinnitate, qui vt plurimum cathenatim quasi colligari, interdum tamen ad vitandam similitudinem locis convenientibus solui debent: Ipsi etiam pedes pro cuiusq; natura materijs similibus aptandi, Spondeus quidē per se grauis & tardus lamentationibus & rebus arduis, Dactylus verò*

inter
oriap
r ea
ursu
sæpe
ntan
arte
irit.

c in
pter
, ac
in

uri-
um
con
des
an-
dus
ty-
erò

lus verò propter volubilitatem & hilaritatem, quam præse fert, celeritati & lætitiae.

XVII.

4. In iteratione, vt Anophora, Epanaphora, Epanalepsī, Complexione, Traductione, πλοκῆ, Polysyntheto, Articulo & cognatis figuris.

XVIII.

5. In versuum variatione, quæ fit vellegitima pedum solutione, vel periodi extensione, vel sensus in concisa & breuioram membra contractione.

XIX.

Etsi autem sua Poëtis quoque licentia est, cum in narrationis ordine et qualitate, tūm syllabarum quantitate & v̄su Archaismorum: Tamen illa non est infinita, sed certis terminis inclusa. Fabulæ enim quibus saepe historiæ & res vtiles inuoluuntur, etsi à veritate rei gestæ nonnihil discedunt & Episodia quædam admiscent: Tamen verisimilia & probabilia, & ea quidem narratæ nō

Eis ergo configunt, aut certè talia, quæ opinione hominum recepta iam & confirmata fuerunt.

XX.

Nihil etiam contra autoritatem & usum probatorum artificum in temporibus mutandū, nec si quæ rara & minus usitata apud eos inueniuntur, illico in exemplū aut frequentiorem trahenda usum, nisi & eorumdem in scribendo virtutes imitari & exprimere velimus.

XXI.

Variæ veteribus pro rerum, hominum & actionum, quas imitabantur diuersitate fuerunt Poëticæ species, nimirum Scenica, quæ erat Dramatum, Epica propria maiestatis heroicæ, & Lyrica, quæ Odas complexa adhibito cantu & lyra ad saltationem pronunciabatur, cuius tres iterum erant species, Pyrrhicha, Gymnopædica, Hyporchematica. Lyricæ quoq; cognata fuit, Citharistica, Auletica & Dithyrambica.

XXII.

Pla

Platoni pro modorum, quibus tractatur
diuersitate, alia est μιμητική seu δράματική
alia ἐξηγητική seu διηγηματική, alia κοινή, μικρή
ἢ διαμορφωτέρω. Aut enim narratione aut
actione aut mixto res exponitur.

XXIII.

Dramatica est, qua omnem sermonem
in personas autor confert, à quibus res agi-
potius q̄ narrari videntur. Eaq̄ pro triplici
personarum, actionis, materiæ & eventuum
qualitate aut est Tragica aut Comica aut
Satyrica. XXIII.

Expositiu*a* constat narratione Poëtæ
simplici, qua aliquid esse aut non esse, item
quid ac quale sit vel non sit, sine personarum
interlocutione refertur.

Mixta est, in qua & Poëta & personæ
introductione loquuntur.

XXV.

Deinde distingui etiam secundum pro-
fessionem seu præcipuum ὕποκριμενον Poeti-
ca potest, ut alia sit Theologica, qua tra-
Etes

Etet res sacras , Alia Historica continens
Genealogias, descriptiones personarum &
narrationes rerū gestarum, siue veras, siue
fabulosas , Alia Philosophica eaq̄ duplex,
Physica, quæ rerum naturaliū explicatio-
nem habeat, & Moralis, quæ virtutū præ-
cepta tradat. Et hæc iterum secundum suas
partes alia Politica, alia Oeconomicā, alia
communis.

XXVI.

Tertiō secundum diuersa carminum ge-
nera & materiæ simul qualitatem, Poëticæ
species præcipuae sunt Epos , occupatum
Hexametro & rebus grauioribus. Elegia,
quæ Hexametro pentametrum subiungens
initio tantum querelis & lamentationibus,
sed deinceps quibusvis materijs accommodata
fuit. Ode, quæ pluribus carminum modis
hymnos, pæanas, parœnias, amatoria & io-
cosa complectitur. Comœdia & Tragœdia,
quæ Iambum initio perstringendis vicijs da-
tū sermocinationi vt plurimum adhibue-
runt,

runt, mixto nōnunq̄ Trochæo, Tribrachy,
Anapesto & alijs. Satyra, quæ & Hexa-
metrolaceſſebat. **XXVII.**

Sunt & aliæ ſpecies vt Epithalamion,
Genethliacon, Epigramma, Epitaphion,
Propempticon, Panegyricus, Ecloga, Idyl-
lion, & alia, quibus quæcunq̄ carminum
genera conueniunt, exceptis duobus poſtre-
mis Idyllio & Ecloga, quibus competit
Hexameter.

XXVIII.

Finis Poëticæ eſt docere, delectare &
mouere, Ultimus celebrare Deum autorem
Poëticæ & omnis ſapientiae.

XXIX.

Medij fines ſeu ſubordinati ſunt, afferre
magnam verborum & figurarum copiam
& quandam ſublimitatem orationi ſolutæ,
eamq̄ numero ſam magisq̄ cōcinnā reddere.

XXX.

Formare rectam tonorum in ſermone
quotidiano pronunciationem ac dexterita-
tem

tem iudicandi & intelligendi non tantum
Poëtarū, sed & aliorū scripta, quæ figuris
magis sunt illustrata. Excitare in ingenij
alacrioribus in natum discendi vigorem, ru-
des illecebra & quasi illectamento quodam
ad cognitionem doctrinæ inuitare.

XXXI.

Formare & acuere in scribentibus sensū
communem de moribus hominum, de consue-
tudine vitæ ac natura omnium rerum, ut,
dum imitari & repræsentare eas cōueniente
orationis & numerorū forma conantur, ipsi
ad accuratam animi intentionem & diligen-
tiam penitus introspiciendi rerum naturam
deducantur. XXXII.

Conferre non tantum φιλανθρωπία: vt
Poëta dum flectere & ad quoscunq; motus
perducere vult alium, ipse etiam aliquam
ingenij suavitatem moribus referat: sed eam
quoq; efficere humanitatem, à qua propriè
homines dicimur, vt encomijs alienæ virtu-
tis & viciorum reprobatione ipse etiam
scriptor

scriptor ad amorem honestatis & odium
turpitudinis excitetur.

XXXIII.

Adiuncta Poëticæ sunt non tantum ar-
tium dicendi & Prosodiæ, sed & rerum
tractandarum cognitio, accuratum in iudi-
candis ac discernendis sonis aurium iudici-
um, studium imitationis, verborum dele-
ctus, figurarum elegantiæ, ocium bone-
stum, contemptus iudicij multitudinis.

XXXIV.

Cognitionem cum Poëtica habent Ora-
toria, Musica, Pictoria, Hystrionica, Sal-
tatoria, Historiæ, Fabulæ, Naturalis ad
Poëticam impetus, Encomia virtutum,
Odium viciorum.

XXXV.

Pugnant cum Poëtica præposterum
iudicium eorum, qui aut dignitatem eius ex-
tenuant, aut propter quorundam abusum
penitus eam reiiciunt. Item contemptus & in-
scitia rerum Philosophicarum, Ignorantia
Decoris,

Decoris, Prosodiæ & numerorum, stupor
ingenij, affectuum & scyria, morum barbari-
es & ferocia, orationis stribiligo, falsa ac-
centuum prolatione, Ignauia, κενοδοξία seu
δοξοσοφία, affectata Enthusiasmi simulatio,
curarum impedimenta nimia.

XXXVI.

Denique abusus artis in insectandis bonis
& tractandis rebus obsecnēis, Nugae cano-
ræ sine rebus, κακοριθμία in imitandis
Archaismis alijsque παρέγγοις Poëtarum
omissis ἐγγοῖς, furtanimis crebra & impu-
dentia, quæ magis vñæ inopiam quod studium
imitandi veteres & argutam illam versu-
um alienorum in nouum sensum μεταμορ-
φωσιп et quasi μετεμψύχωσιп præferant.

Sordida item & illiberalis illa versicu-
lorum mercatura, impudens & ni-
mia assentatio, Venaque venalis,
laudans, vbi maxi-
ma merces.

Pd 263



SB


MC



Farbkarte #13

B.I.G.

Black	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	



PROPOSITIONES
DE POETICA,
QVÆ DISPUTABVN.
tur Die V. Aprilis in Aca-
demia Ienensi.



Friderico Videbrando.



XII

IENÆ.

Excudebat Donatus Ritzenbayn.
Anno M. D. LXIII.

Clarijs. viro Dno Joannij Ma-
ini Thirologie Doctori et Poli-
ti Coronato Dno ex amica
cõ. solleit. Et Tit. lib.